

iii Chalcedonensis continetur, quam a Theodoro Abucara arabice scriptam & a Michaelē Ecclesiæ Hierosolymitanæ Presbytero & Syncello græce redditam Thomas Hierosolymitanus Patriarcha ad hæreticos in Armenia misisse dicitur. Et ipsum quoque Abucaræ cognomentum ex arabica lingua formatum & compositum videtur, nihilque aliud quam Patrem seu Episcopum Caræ denotare. Fuit enim Abucaras, ut in titulis lucubrationum suarum nominari solet καρῶν ἐπίσκοπος, quo nomine Joh. Baptista Cotelerius g) illam Mesopotamiæ civitatem designari existimat, quæ Ptolomæo h), Stephano Bizantio i), ἀπὸ καρρᾶ πόλεως Συρίας a Carrha fluvio Syriæ originem hujus nominis derivanti, & aliis κάρραι, nonnullis tamen etiam κάρραι dicitur, ut ex Cedreno k) patet, qui παρὰ τῆς κάρραι τῆς βασιλέως seu a Caro Imperatore hanc urbem conditam & denominatam perperam asserit. Multis enim ante Carii imperium seculis

*miserando funere Crassus
Assyrias Latino maculavit sanguine Carras,*

ut Lucanus l) canit, unde & Carræ ab Ammiano Marcelino m) antiquum oppidum Crassorum & exercitus Romani ærumnis insigne appellatur. Nec dubito, quin hanc ipsam civitatem etiam Franciscus Turrianus intelligat, qui Abucaram in latina quorundam opusculorum ejus versione Episcopum Charran nominat. Carrharum enim civitas, ut Ortelius, n) Thomas de Pinedo o) & alii observarunt, eadem esse creditur cum illa quæ a Mose p) in Patriarcharum historia Charan & a Græcis interpretibus nec non a Luca q) καρρᾶν appellatur.

g) in notis ad Clementinorum homil. 5. p. 662. h) lib. 5. Geograph. c. 18. i) de urbibus p. 361. k) hist. comp. p. 301. l) Phars. lib. 1. m) lib. 23. c. 3. n) thesaur. geograph. in voce Carrha. o) in not. ad Steph. de urb. l. c. p) Gen. XI, 32. XII, 4. etc. q) Act. VII. 4.

§. VI.